

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



707



Σὺν Θεῷ
CORONIS PRIOR
ETHICIS DISPUTA-
tionibus adjecta

De
INNATO HONESTORUM
& turpium discrimine,
In Inclyta VVittebergenſium Academia
propoſita.

PRESIDE
M. NICOLA O HUNNIO
Marpurgenſi: Col. Phil. Adjuncto,
RESPONDENEE
MICHAELE PFLUGERO
Creilsbeimo Fr.

WITTBURGAE,
Ex officina Typographica Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. XI.





ANTIQUA GENERIS PROSAPIA
VIRTUTUM HEROICARUM SPLENDORE
SINCERA PIETATIS LAUDE
VERE NOBILISSIMO

Dn. CHRISTOPHORO SE-
BASTIANO A IAXHAIM &c.

Illustriss. ac Celsiss. Principi ac Domino, Domino
JOACHIMO ERNESTO *Marchioni Bran-*
denburgico &c. à Secretis & Consiliis &c.

Ut &
PRÆTORI, CONSULIBUS, SENA-
TUIQUE
CREILSHEMENSIIUM

Viris

Amplissimis, Prudentissimis, Consultissimis

Dn. Evergetis, Mecoenatibus ac Promotoribus
suis æternùm colendis

ΗΟC ΑΓΩΝΙΣΜΑ ΗΘΙΚΟΝ

Ingratz mentis μνημόσυνον

Debitæ observantiæ τεκμήριον

Consecrare, offerre

volui debui

MICHAEL PFLUGERUS

Respond.



CORONIS PRIOR.

De

NATURALI HONESTO- rum & turpium discrimine.

I.



ORUM, quæ sub mentis considerationem & regimen cadunt, duo sunt genera; quædam theoretica, cætera practica. Illa duplicia; vel enim sunt infinita, vel finita; hoc est, Deus aut creatura.

II. Hinc in tria genera sese omnia hæc diffundere colligitur; 1. cognitionem Dei.

2. Rerum, seu entium creatorum contemplationem. 3. Honestam & laudabilem inter homines conversationem.

III. Ergo; tria principia ad trinam hanc considerationem quivis homo adfert, quæ hisce superstratur, ceu fundamento, notitijs. Ut n. nemo addiscit artem, qui nõ generalia secum afferat principia; sic multò minus ad præstantissimas, ac illustrissimas artes cuiquam patere aditum credimus, qui generalibus quibusdam notitijs non sit instructus.

IV. Et hoc ferè extra dubium: quis enim est, quem non Dei persuasio invaserit? qui nesciat, totum majus sua parte: idem non posse simul esse, & non esse; quem lateat; honestè vivendum; proximum non lædendum: suum cuique tribuendum? etsi horum omnium nil quicquam fando audierit.

V. Origo non nihil obscura; ideoq; dubia & controversa: quibusdam per naturæ propagationem citra acquisitionem aut crebriorum actionum opem; alijs non naturá, sed per actio-

num multiplicationem, & experientiam inesse contendenti-
bus.

VI. Nos, antequam quid probabilius videatur, exponamus,
qualia intelligamus principia, explicatum dabimus.

VII. Ante omnia verò; non de quibusvis naturæ notitijs
rem nobis fore, protestamur; sed de tertio solùm genere, di-
scrimine puta honesti, & turpis, seu honestarum & laudabili-
um actionum seminibus, & ceu primo fundamento.

II X. Quæstio igitur non erit de ipsa hominis naturâ, quàm
principium actionum esse extra dubium ponimus: Sed neque
de facultatibus ad operationem tendentibus; ut neque de or-
ganis qualitercunque operationi inservientibus. Verùm de
principijs in naturâ, & facultatibus; ab utrisque distinctis:
secundum quæ eæ limitentur, ac restringantur, ut non tantùm
agant, sed has potius, quàm illas operationes edant.

IX. Cæterùm; ambiguitas notabilis hîc latitare videtur.
Duo quippe in mente hæere deprehenduntur; νοήματα sim-
plicia, & composita; hoc est, termini simplices, & compositi
pronunciata; effata, axiomata; qualium *thesi* 4. memini-
mus.

X. Quod priora concernit; nihil credimus inesse intellectu, quod
non prius fuerit in sensu. Statuimus etiam cum *Aristo-
tele* 3. de an. c. 4. §. 14 τὸν νῦν πῶς εἶναι διωάμει τὰ νοητὰ; ἀλλ' ἐντελεχεία ἔδεν, adeoque mentem dicimus γραμματεῖον, ὃ
μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχεία γεγραμμένον. *Ibid.* Damus insuper;
omnem intelligentem speculari phantasmata; hoc est, omnes
species intelligibiles, seu imagines entium à rebus abstractas
forinsecus accedere; nullam, & ne unicam in & cum mente
nasci, atque oriri.

XI. Quapropter non facimus cum *Scaligero*, qui *exerc. 307. sect. 22.*
pullo universalem milvi speciem, ceu platoniam quampi-
am ideam, qua singulares milvos protinus agnoscat, connotam
statuit; indeque homini tales species congenitas infer.

XII. In disceptationem proinde veniunt solùm complexa
principia, universalia videlicet pronunciata, axiomata, quæ
nemo,

nemo, nisi mente vel insanâ vel reclamante negare aúsit: unde & prima principia nuncupari consueverunt. Cujus sunt generis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Parentes sunt colendi: benefaciendum beneficientibus &c.*

XIII. Horum verò omnium rursus non una est, eademq; ratio. Alia enim generalia sunt; (qualia modò recensita) & *ἐπιλωρ πρῶτα* dicuntur; alia specialiora, (*substantia non recipit magis & minus: contraria sunt sub eodem genere; bis dat, qui citò dat: legibus magistratus obediendum*) quæ *κατὰ β'* prima; prima videlicet, quatenus antecedentem probationem non rigidè admodum postulant, ijsque facilè quis assentitur, at non simpliciter prima; quia ab antecedente alio probari possunt; quin & nonnunquam ipsis contradicitur. *Distinctio est Arm. Bellovis. tract. 2. cap. 85.* Quæstio erit de prioribus.

XIV. Interim; non hoc volumus, principia ista totidem quasi verbis menti inscripta; ut quivis ea spontè de se proferre valeat; hoc enim videtur vel per intellectus ventilationem & agitationem, vel sensuum media comparari.

XV. Sunt namq; tria in anima; *πάθη, δυνάμεις, ἔξεις* Arist. 2. Nic. 4. 1. Mag. Mor. 7. Sub nullum horum naturales notitiæ propriæ, ac directim cadunt; ad omnes tamen reducuntur. Ad *πάθη*; quia ut hæc appetitum; sic notitiæ rationem definiunt, & ad certa actionum genera determinant. Ad *δυνάμεις*; quia & *κατὰ ταύτας δυνάτοι λεγόμεθα*. Ad *ἔξεις*; quia juxta notitiæ ad actus benè vel malè affecti sumus.

XVI. Maximè tamen habitui assimilantur. Sicut enim is non est facultas, sed quid in ea; nec tam est causa actionis, quàm *hujus* actionis; & operatur etiam in non-cogitante præcepta habitus (sic enim Musicus tam voce, quàm fidibus canit ex habitu, non attendens, quæ illum præcepta sic canere jubeant.)

XVII. Ita naturales notitiæ non facultates sunt, sed quid in ijs; non causa actionis, verùm *talis, vel talis* actionis: operantur in eo, qui non cogitat, aut perpendit actu præceptum, juxta quod operatur.

XVIII. Atque hæc naturâ notâ dicimus; terminum hunc (*naturâ notum*) non divinæ revelationi, qui sensus aliàs non



Infrequens; sed generatim cuicunque disciplina, ac institutioni
opponentes; seu, quod idem; innata asserimus, acquisita nega-
mus.

XIX. FATEMUR interim; I. Notitias istas ob nimi-
am naturæ corruptionem, & originalis malitiæ vires imperfe-
ctas esse, ac debiles, ut inde haud rarò multis modis infirmen-
tur, obscurentur, impugnentur, & ceu sepeliantur.

XXI. II. Per pravam educationem magis magisq; obscu-
rari, frangi, & ceu in totum è naturâ evelli: quantumvis non
evellantur omninò; tam altè nimirum infixæ, ut ceu furca ex-
pullæ, tamen usque recurrant.

XXI. Venit hic in mentem, quod Cicero sub initium lib. 3.
Tuscul. quæst. conqueritur; *Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos
celeriter malis moribus, opinionibusq; depravatis sic restringimus, ut nus-
quam natura lumen appareat. Sunt enim ingenijs nostris semina inna-
ta virtutum, quæ si aolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura
perduceret. Nunc autem simul, atque editi in lucem, & suscepti sumus,
in omni continuo pravitate, & in summâ opinionum perversitate versa-
mur, ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quùm verò
parentibus redditi; deinde magistris traditi sumus, tum ita varijs imbu-
mur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmata natura ipsa
cedat. &c.*

XXII. III. Per educationem bonam, ac laudabilem mul-
tum perfici; & ceu mortuas vivificari, aut dormitantes excita-
ri, ut demum natæ videantur; haud aliter atque Pelagio olim
ob educationem vitiosam peccatum non connasci; sed per imi-
tationem ac consuetudinem contrahi visum fuit.

XXIII. Porro ASSERIMUS I. notitias distingui à men-
te ipsa, Nam; ut concedamus *διωαμν κερικλω* in intellectu,
quo unam speciem intelligibilem ab alterâ ritè distinguere no-
vit; illam tamen ad practica hæc (de speculativis jam nullum
verbum) extendi negamus.

XXIV. Rationem thesæos reddo triplicem. I. Facul-
tas, seu *διωαμν κερικλω*, quæ est ipse animus, discernit æquè
bonum ac malum, nec magis in operando ad hoc vel illud in-
clinat. Ponamus ergò; intellectum practicum sine quodam
alio

alio abs se distincto principio *diagnoscere* bonum à malo; attamen
audire placet; qui fiat, quòd *in operando* magis propendeat ad u-
num, quàm alterum?

XXV. Certè, ut visus iudicat de coloribus, eosque probè
discernit; interim non inclinatur per seipsum magis ad unum,
quàm alterum; sic & intellectus practicus neutralis est; æqua-
liter per seipsum se habens ad utrumq; . Quia tamen inclinatur
ad bonum, & honestum; quis inficias iuerit, mentem alio quo-
dam abs se distincto principio eò deferri?

XXVI. Accedit confirmationis loco; si non essent in
mente distincta, discernere honestum & turpe; & propendere
ad honestum; sequeretur 1. intelligere honesta esse, ad honesta
ferri: & econtrà; inclinari ad turpia non-intelligere turpia.
2. theoricum coincidere cum practico. Quis enim ignorat; di-
scrimen, quòd diximus, theoricum; propendentiam ad operan-
dum, practicam?

XXVII. Quòd si differunt; ab uno certè principio ab-
stractè sumto non dependent; sed discretio honesti & turpis à
δύαμις κατ'εὐχὴν; inclinatio ad agendum illud, & hoc omittend-
um, ab alio diverso principio; naturali scil. notitia; cùm aliud
quid dari nequeat.

XXVIII. 2. Si ratio *discernens* maximè inter bonum, & ma-
lum; *operari* tamen malum non præsumit; nisi ab originali ma-
litiâ, & corruptione sua eò rapiatur; similem ad modum non ad
bonum faciendum mens agitur, sine bonitate quadam origina-
li, & connatâ.

XXIX. 3. Quando mens prava decernit contra consci-
entiam; certè *δύαμις κατ'εὐχὴν* locum invenit, & vel maximè
operatur: nihilominus nativa inclinatio ad bonum sopita jacet,
nec datur illi copia quicquam suadendi, aut decernendi. Ergò
δύαμις κατ'εὐχὴν mentis, & sanæ rationis ad bona inclinatio
vel maximè differunt. Ergò facultas naturalis à discrimine,
quòd quærimus, honestorum & turpium differt. Quòd erat
demonstrandum.

XXX. II. *Honestorum & turpium discrimen naturâ inesse*: Cu-
jus probationem tali includimus syllogismo. Quicquid affir-
mat

mat 1. Verbum Dei. 2. orthodoxa Ecclesiae doctrina. 3. Conscientia. 4. Facultatum agentium indifferentia. 5. Similis ceterorum animalium ratio. 6. Theologorum pariter, ac Philosophorum consensus; hoc vel maximè comprobandum, & affirmandum. Atqui hæc omnia de naturali honestorum, & turpium discrimine vera sunt: Ergò &c.

XXXI. Majorem propositionem extra dubium cum positam arbitrer; probationi ejus supersedeo, pergens ad minorem, cujus membra seorsim sunt expendenda singula.

XXXII. I. MEMBRUM. *Verbum Dei naturale honestorum & turpium discrimen adstruit.* Cui probando nolo ea, ex quibus nonnullis hoc probari videtur thema, in medium adferre loca, Rom. 1, v. 19. cap. 4, v. 15. Luc. 12, v. 57. quæ suo loco relinquo; unico, eoq; illustri contentus.

XXXIII. Is extat Rom. 2, v. 14. 15. sic differente Apostolo: ὅταν τὰ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα τὰ τῶν νόμων ποιῆ, ἔτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμοι, οἵτινες ἐνδείκνυται τὸ ἔργον τῶν νόμων γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν; συμμαρτυρήσης αὐτῶν τῆς σιωπῆς, καὶ μετὰ ἑὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. *Gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes sibi ipsi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum; & inter se invicem cogitantibus, accusantibus, aut etiam defendentibus &c.*

XXXIV. In quo loco hæc quinque considero. 1. Quòd loquitur Apostolus de gentibus legem non habentibus, revelatam scil. & promulgatam, qualiter Judæi. 2. Natura faciunt ea, quæ sunt legis. 3. Ipsi sibi sunt lex, seu honestarum legum norma. 4. Opus legis scriptum in cordibus eorum. 5. In eo demonstrant legem cordibus inscriptam, quòd cogitationes ipsorum se invicem accusant & defendunt. Singula singulas suppeditabant probationes.

XXXV. PRIMÆ. Si gentes non habent legem divinitus revelatam; & tamen omni prorsus lege non destituuntur; aut ex institutione eandem habent; aut conversatione cum Judæis; aut deniq; per naturam. Quartum non video.

36. Atqui

Cum igitur non evidens detur causa in praesentia significatio-
nem mutandi; retinenda est utique: & probata erit conse-
quentia nostra.

XLIII. Deinde: *naturam* quid agere est tum in communi, & quo-
tidiano usu, tum apud doctos instinctu & principio naturali,
atque connato operari. Sic enim Apostolus I. Cor. II, v. 14. decet-
ne mulierem non-velatam orare Deum? nec ipsa natura docet
vos. Sic Aristoteles *α. μετ.* Met. I. πάντες ἀνθρώποι τῶ εἰδέναι ἐπέ-
χονται τῇ φύσει. Hinc Syllogismus *thesi* 40. positus; atque sic
probatum resultat.

XLIV. Hinc Theophylactus in cap. 2. Rom. de gentibus pronun-
ciat; *ipsas conscientiam, & naturalibus cogitationibus usas ad testimoni-
um boni & honesti.* Imò Cicero hæc agnovit lib. 3. de finib. scribens:
Honestè vivere est vel ex virtute, vel natura congruenter vivere.

XLV. Et lib. 3. offic. *Natura est lex divina & humana. Cui parere qui
velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam vivere volent) nun-
quam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi
assumat.* Et ibid. *Detrahere alteri sui commodi causam; magis est contra
naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera ejusdem generis.*

XLVI. Item; quando lib. 1. de legib. allegante Chemnitio part. 2.
Loc. Com. cap. 2. legem definit: *Est ratio summa, insita in natura, quæ
jubet ea, quæ faciendæ sunt, prohibetq; contraria.* Cui congruit, quòd
Philipp. II. ait: *Lex est nihil aliud nisi recta, & à nomine Deorum tracta
ratio imperans honesta, prohibens contraria.*

XLVII. TERTIA. Si gentes sibi sunt lex; sequitur, naturam inesse
legem. Consequentiam probationem rursus de promo ex opposi-
tione, qua Judæi habuisse legem: gentes ipsi sibi lex fuisse di-
cuntur. Gentes in hoc à Judæis discernuntur, quòd illæ *IPSÆ
SIBI* fuerunt lex hi non item. Jam verò Judæi hac quidem ra-
tione sibi fuerunt lex, quòd præscriptas habuerunt leges, juxta quas
vitam honestam peragant; & non soli Ethnici, E. Apostolus aliud
quid discrimine modò dicto innuit. Quid verò, si nò hoc; quòd
Judæi institutione ac revelatione; gentiles naturæ dictamine?

XLIX. Præterea: Si ideò Israelitæ sibi non sunt lex; quia le-
gem habent latam, seu, à seipsis origine, & essentiâ diversam
certè; quia gentes sibi sunt lex; legem istiusmodi latam, adeo-

qu

que à se origine atq; essenriâ distinctam non habebunt; & con-
sequenter aliam, in, & è naturâ suâ ortam.

XLIX. QUARTA. Si gentium cordi lex inscripta; non est, quod
ijs per disciplinam denuò inculcetur, & ingeratur. Prius verum,
Ergò & posterius,

L. Excipiat quis: Ea quoque inscribuntur cordi, quæ per di-
sciplinam acquiruntur: ut, de fœdere Novi Testamenti legitur,
*Ier. 31. v. 23. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scri-
bam eam.* Similia habentur *2. Cor. 3. v. 2. Heb. 8. v. 8.* quibus tota
hæc collectio infirma, & inutilis redditur.

LI. Verùm; licet fateamur, plures obtinere phræseos significa-
tus; non tamen is, quem adstruimus, protinus erit rejectus, ac
falsus. Interim probo hunc nostrum significatum, simul & ma-
joris connexionem. Inscriptio legis, de qua in præsentia Paulus;
opponitur ei, qua Iudæi per divinam promulgationem *Exod. 20.
v. 1. seq.* & institutionem *Deu. 6. v. 20. seq.* legem resciverunt. At:
nulla inscriptio alia, quàm, qua naturâ lex hominibus inest, ta-
lem parit oppositionem. De hac igitur sola Paulus loquitur.

LII. **QUINTA.** Ubicumque actiones sunt contrariæ, illic con-
traria oportet esse actionum principia. Sed dantur actiones
contrariæ in Gentilium animis; Ergò & principia eorundem.
LIII. Sunt autem hæc principia ex una quidem parte originale
peccatum, quod nullum omninò peccatum accusat, sed excu-
sat saltem: ex parte altera conscientia, seu, si cum Philosophis
loquendum, recta ratio ceu virtutum principium, & naturalis
vitiolorum hostis.

LIV. Horum prius naturale esse; nullum dubium, Posterius
itidem tertiū generalis syllogismi membrum probatū reddet.

LV. II. MEMBRUM. *Doctrina Ecclesie naturale honestorum, & tur-
pium discrimen adstruit.* Doctrinam dico de reliquijs imaginis
Dei post lapsum Adami, quas adhuc dum in natura hominis su-
peresse, ex loco *Rom. 2.* jam perpenso magno consensu ortho-
xi Ecclesie Doctores asseruerunt.

LVI. Recentiores quod attinet; res in aprico est. Videatur *Luthe-
rus in cap. 2. Genes. pag. 30.* Sic *Augustinus lib. 1. de spiritu, & literâ c. 28.*
Non usq; ad eò is anima humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe

destrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ fatere aliquam legem, vel sapere. Hoc est, quod dictum est, quod gentes, quæ legem non habent, h. e. gem DEI; naturaliter quæ leges sunt, faciunt, & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis; id est: non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est.

LVII. Et si verò diversas reliquias appellationes sortiuntur; utpote cum partes, particulae, rudera &c. dicuntur; at tamen ne quis fortè imaginem Dei nō in totū abolitam ex istis appellationibus colligi putet; ab iisdem rectius abstinendū videtur.

LVIII. Rectius a. vestigia dici poterunt: eò quòd de substantiā imaginis Dei non sint; per illam tamen naturæ impressæ. Sicut enim, qui arenam pedibus pressit, nullam quidem partem pedis post se relinquit; à pede tamen est, quod tūc figuram eius exprimat, & pedem adfuisse designet.

LIX. Haud aliter; ac corpus odorum per cætera corpora vicina, & contigua odorem spargit, qui corpore odorifer in totū ablato nihilominus cæteris odorē similem impressum relinquit, qui veram qualitatem specietenus exprimat, & ceu vestigium impressum relinquatur; naturā quidem & essentiā prorsus diversum; effectu tamen, & similitudine eandem referens.

LX. Sic de imaginis divinæ amissione ex Ecclesiæ doctrinā statuimus, in totum quidem ipsam sublatam; reliquisse tamen post se istiusmodi reliquias; à se quidem genere diversas, sed, quæ leviter admodum eandem repræsentarēt, & actiones quoque utcunque ipsius actionibus respondentes ederent. Nam; unde hæc lex cordibus inscripta? aut ex perfectione, aut corruptione. Atqui non ex corruptione; quippe quæ notitias hæc impugnat. Ergò ex originali perfectione.

LXI. Colligamus in Syllogismum. Si imago Dei per lapsum deperdita relinquit post se in natura hominis vestigia eadem similitudine, ac operationibus qualitercunq; exprimentes; sequitur, in hominis naturā externum quoddam sanctitatis, ac justitiæ studium remansisse. Sed verum prius: Ergò & posterius.

LXII, III. MEMBRUM. *Conscientiæ consideratio naturalem honestorum;*

nestorum, ac turpium discretionem dicit. Non aliter jam considera-
mus conscientiam, quam ratione operationis, quam in
hominibus exercet, ac simul sese legem quandam hominem
delinquentem, & committentem turpia terrentē demonstrat.
LXIII.

Utq; rectius me expediam; sisto hominem, qui
1. Dei verbum, sanctiones, minas, & pœnas indictas ac consti-
tutas prorsus ignorat, gentilem fortē Turcam, aut quem barba-
rum alium (qualia etiam inter Christianos videris zizania) vel
eum, qui notitia quidem horum omnium non destituitur, de-
spectui tamen habet, & vel nullam fidem tribuit, vel si aliquā
tribuit, attamen detestandā negligentia denuò quasi sepelit.

LXIV. 2. Qui pessimè, & ad omnis generis scelera edu-
catus fuit; aut si virtutibus assuefactus, in contrarium tamen
relapsus à virtutis semitā deflexit, seq; totum vitij consecra-
vit. Exempla minimè rara.

LXV. 3. Quem nullus politicæ, aut corporalis pœnæ me-
tus perterrefacere potest: quando videlicet facinora in occul-
to fuere commissa, nec est, qui propalet: aut in foro politico jam
tūm remissa, & condonata: vel in loco tuto reus constituitur:
vel denique morti vicinus nullam politicam pœnam metuere
potest.

LXVI. Tales homines (non dico, quod semper, non ta-
men ita rarò) dolent de peccatis, grandioribus cum primis, abs-
se perpetratis: id quod suspiria, lamentationes, querelæ abundè
satis confirmant. Anguntur; quod voces, quas ceu despera-
bundi emittunt, satis abundè declarant.

LXVII. Dolor, & pœnitentia isthæc infert agnitionem
peccati, convincentē reum, quòd pessimè egerit, ita, ut factum
exculari nulla prorsus ratione queat; adeoque nunquam à se id-
ipsum perpetratum fuisse ex imo corde optet.

LXVIII. Angor judicem dicitur severum, & vindicem sce-
lerum acerrimum; unde pœna noscitur acerbissima. Facit er-
gò mala conscientia, hominem agnoscere peccatum, simul &
pœnam; quam tūm certò sibi pollicetur, tūm ad illam miserè
exhorrescit.

LXIX. Sed unde hæc agnitio; hic terror? certè ex lege, cu-
jus



jus est accusare & damnare delinquentes *Joh. 5, v. 45. Rom. 4, v. 15.*
& pœnam dictare transgressoribus constitutam. *Deut. 27. v. 27.*

LXX. Si jam quæramus, quæ sit ista lex, talem hominem, qualem modò dixeram, accusans, & damnans? non poterimus divinam allegare, hanc enim (maneo in hypothese) ignorat, aut certè nihili facit, vel minas illius non perpendit.

LXX. Nec humanam; utpote cujus judicium subterfugit, & quò ad reatum absolutus est, & quò ad pœnam; aut aliàs illum propter hanc metuere nequit. Ergò restat lex naturæ, quàm *Damasceus* inscriptam legem mentis *lib. 4. orthod. fid. cap. 23.* appellat.

LXXII. Hujus enim, (quippe naturalis) tacita est operatio, ut qui conscientiam angitur, ignoret ipse (distinctè) quid se usq; adeò sollicitum teneat: imò, tacitus iste stimulus adigit eum ad confitendum peccata, aliàs occulta, & pœnam debitam nonnunquam expolcendum (Exempla dari possunt) quostamen, si de causa facti quæsieris, non facilè unquam divinam, aut humanam legem allegari audies, sed conscientiam; ad quam, cum evidentem causam ignorant, confugientes, quid testantur aliud, nisi naturali honesti, ac turpis discretionem sese urgeri.

LXXIII. IV. MEMBRUM. *Facultatum agentium natura & conditio discrimen honestorum & turpium postulat.* Quod, ut probem, præsuppositum esto, omnem facultatem, quàm facultatem, aut quatenus agentem, indifferentes actiones edere, quarum determinatio ab alio principio pendeat facultati contradistinctio.

LXXIV. Id, quod omnium confirmat inductio. Sensus exteriores sunt facultates apprehendendi sensibilia: hætenus igitur non unum magis sentiunt, vel ad sentiendum inclinant præ altero: quòd verò ij plus feruntur, visus ad colores pulcros; auditus ad sonos concinnos; olfactus ad odores gratos, hoc non tam facultatum est exteriorum, quàm Imperij, quo interioribus subjiciuntur.

LXXV. Interiores sensus judicant, componunt, dividunt: secundum notitias quasdam insitas (in brutis) aut regimen intellectus

tellectus (in homine) Sensus communis diversorum sensuum
objecta ab invicem discernit : per seipsum non discernens sua-
ve ab ingrato, (nisi principio quodam innato hoc fiat) sed tan-
tùm aliis percepta expendens, & sensus externi apprehensio-
nem perficiens.

LXXVI. Sic & appetitus operatio est appetere, fugere, re-
spuere: sed definitè hoc appetere præ illo; hoc fugere, non il-
lud, id verò non est appetitus, quatenus is facultas est; sed aut
prout affectibus ducti, vel intellectus imperio coërciti.

LXXVII. Ergò & ratio, quippe facultas agens indiffe-
renter per se aget: ad malum verò aut per superius regimen (sed
eo destituitur) aut per quidpiam abs se distinctum malum, seu
inclinationem pravam: ad bonum itidem bona & laudabili
inclinatione, seu virtutis quodam principio ducetur.

LXXVIII. V. MEMBRUM. Similis omnium cætero-
rum animalium ratio. Si nullum animal; quod non suo quo-
dam peculiari ducatur ingenio, & connatas quasdam notitias
operibus suis ostendat; certè homo solus non ab omnibus ejus-
modi principijs nudus nascetur, atque vacuus: tùm, quòd ille
omnium præstantissimum, tùm, quòd nulla ratio, cur solus ho-
mo eximendus.

LXXIX. Sed prius verum. Copiosus in his recensendis
Ambrosius lib. 5. Hexaem. cap. 13. seq. lib. 6. cap. 4. quibus recensendis
sponte superledeo. Et res omnium oculis liquet. Quis ara-
neam telas suas compositè & artificiosè texere docuit? certè
per phantasia istud artificium non habet, aliàs quippe & mu-
sca & scarabæus idem agerent.

LXXX. Sic & apes artificium præstant minimè contemnen-
dum in alvearijs conficiendis: formicæ in colligendis cibarijs
ad futuram hyemem: quarum illis conceptum quendam &
ceu exemplarem causam inesse, juxta quam forment alvearia,
ego non dixerim: ergo ex naturali quasi artificio, habitu, negle-
ctis quasi præceptis, operantur. Hæ autem etiam hac æstate
nata omnis prorsus hyemis ignaræ frumenta conferunt; quo,
nisi naturali instinctu ductæ, atq; impulsæ?

81. Quid



XXCI. Quid Ciconiam, gruem, aliasve aves hyeme appropinquante sedes & habitationis terras mutare docuit? Quid hirundines nidos domibus affigere, ac rectis? Quid aves alias alia?

XXCII. In genere verò omnia animalia hoc tenent principium: *noxia fugienda, inutilia relinquenda, commoda sequenda.* Canis videns tolli baculum fugit, etsi quid isthæc sibi velit elevatio, experientia non didicerit. Præcipitia nullum non animal formidat, ac fugit. Quo monente, ac docente? natura. Sed quomodo, si non per hoc principium; noxia fuge?

XXCIII. Nec aliam quis mihi causam dederit, qua bos appetat gramen, per omnem etiam vitam non visum, nisi quòd tacito naturæ principio id sibi commodum agnoscit pabulum: at; carnes negligit: canis e contra. Imò, quod vis animal citra institutionem ullam sibi agnoscit conducentia, & à noxis dignoscit. Plura vel sensus addent.

XXCIV. Stante sic etiam minore propositione; inferamus conclusionem: Ergò verum etiam posterius; hoc est, homo naturalibus actionum principijs instructus nascitur. Quod demonstrandum erat.

XXCV. Quòd si verò dicatur; illa se non statim à natiuitate in hominibus exercere; Ideoq; non inesse, antequam acquirantur disciplinâ. *Resp.* Ergò & intellectus acquireretur disciplinâ & institutione, quia nec is confestim operatur.

XXCVI. Ratio autem, ob quam principia *σύνφύτα* non operantur confestim; hæc est, Non habent à se, aut per se actionem ad modum facultatis; sed actiones facultatis limitant saltem, atq; determinant. Ergò; dum quiescit facultas, & negatur actio; etiam facultatis, ut & actionis determinatio negabitur. Atqui: in primâ infantia quiescit intellectus: Ergò neq; notitiæ insitæ operari poterunt.

XXCVII. VI. MEMBRUM. Tandem; Consensus Theologorum pariter, ac Philosophorum insitas, & naturales notitias adstruit. Et quidem, Theologos quod attinet vereres; jam tum quosdam hinc inde adduximus, quorum repetere testimonia, supervacaneum.

LXXXIIX. Quantum verò ad recentiores, neque hic quicquam adducere opus, cum unanimis eorum omnium consensus, quotquot mentionem hujus rei aliquam fecerunt, nemini, qui modò scripta eorum aspexit, occultus esse possit.

LXXXIX. Adducamus aliquos. *Lutherus tom 4. Germ. Ienensfol. 499.* in explicatione Decalogi sic ait: Wenn gleich Mose das Gesetz nicht geschriben hette/so haben doch alle Menschen das Gesetz von Natur in ihrem Hertzzen geschriben / Gott hat aber den Juden auch ein geschriben Gesetz / das ist/die zehen Gebot gegeben zum vberfluß/welche auch nichts anders sind/denn das Gesetz der Natur/das vns natürlich ins Hertz geschriben ist. Was nun Moses geschriben hat in den zehen Gebotten/das fühlen wir natürlich in vnserm Gewissen. *Rom. 2.* Denn so die Heyden/etc.

Idem tom. 3. in cap. 1. Iona fol. 199.

XC. *Iac. Andreae disp. de lege thes. 6.* Quod ad politicam vitam, & conversationem hominum attinet, discrimen honestorum, & turpium quaecunque remansit; quod hominem conscientia teste ad hanc legem obliget nemine dictante: quaecunq; volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis.

XCI. *D. Georgius Mylius multa in hanc profiteretur sententiam comm. in cap. 2. Rom.* Hoc unicum adscribo, intelligitur (ait) ab apostolo lex natura, quae continet discrimen honestorum & turpium, & principia practica de moribus: sic appellata, quia in natura hominum etiam depravata post lapsum reliqua mansit, ut esset testimonium de Deo, & norma disciplinae, quae honestas externa, & publica societas in genere humano conservari possit.

XCII. *D. David Rungius disp. 3. in Epist. Rom. part. 1. De hominibus* (inquit) post lapsum nondum renatis Paulus hac phrasi utens non confirmat Pelagij deliria de integritate, & perfectione natura, quasi adhuc supersit plena agnitio Dei, &c. Sed Paulus seipsum interpretatur, quid per opus legis intelligat, videlicet notitias reliquas in mente, quae sunt gubernatrices morum, & externa honesta disciplina. Ideoq; mox addit, quod gentes faciant, non τὸν νόμον, sed τὰ τῆς νόμου. &c. Plura, magisque perspicua idem habet *disp. de imagine Dei thesi. 65. 66. 69. 190. &c.* quae adscribere minis prolixum foret.

XC. Philo-

XCIV. Philosophi porrò, si unum fortè, atque alterum exceperis, in eandem concedunt sententiam. Etenim in genere, quoties, & quotquot naturale inter appetitum & rectam rationem, dissidium adstruunt, (de quo fermè inter omnes convenit) discrimen honesti & turpis naturale concedunt. Quid enim appetitus Philosophis aliud, quàm, quod originis peccatum Theologis? cui cum illi rectam rationem opponant; quoniam termino hi id ipsum efferent, nisi naturalis notitiæ &c.

XCV. In specie; nolo adducere Platonem, & Academicos, qui in excessu peccantes omnem scientiam congenitam, & naturam notam asseverarunt.

XCVI. In peripato me contineo; cujus primas, Aristoteles, thesi nostræ disertè patrociniatur, dum 6. Nicom. 13. Φυσικῶν ἁρετῶν ἀσσεύει; subiiciens: πᾶσι δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν, φύσις πῶς: Et mox addit: καὶ παισὶ, καὶ θηρίοις αἱ φυσικαὶ ὑπάρχουσιν ἕξῃς. Similiter σοφίας naturam inesse pronunciat 8. Nicom. 1. φύσις τ' ἐνυπάρχειν ἔοικε (Φιλία) πρὸς τὸ γεγεννημένον τῷ γενήσαντι,

XCVII. Hinc Golius lib. 6. Eth. c. ult. duplices affirmat virtutes, κυρίως; & μὴ κυρίως ἀρετὰς: quarum posteriores sic describit: Nihil aliud sunt, quàm naturales inclinationes, & propensiones ad aliquam virtutem: quæ etiam φυσικαὶ ἀρεταὶ naturales virtutes, appellantur: à Cicerone vocantur principia, semina, igniculi, & fontes virtutum:

XCXIIIX. Acciajolus in 6 Eth. 6. §. 56. Hujusmodi principia, quæ statim innotescunt cognitæ terminis, necesse est discipulum habere ex se sine ulla doctrinâ, & asserre ex domo sua. Et mox: Sunt enim talia quedam, quæ quidem affert is ex sese, qui discit ad unamquamque scientiam perdiscendam. Has autem dignitates appellare solent isti communes animi conceptus, quia omnes homines ex sese naturaliter percipiunt, & nesciunt penè, ut inquit Averrhois, unde habeant: & istæ dignitates dicuntur esse principia complexa.

XCIX. Piccolomineus Philos. Moral. cap. 2. seqq. fusè istam persequitur

sequitur materiam, atq; virtutum semina inesse naturá multis
demonstrat.

C. Quòd verò *Aristoteles* ab experienciâ dependere princi-
pia 2. *Poster. ult.* docere videtur, idem & nos concedimus; non
enim sufficit ad demonstrationem habitualis notitia, sed ea-
dem principia excitata oportet, ut non tantum secundum du-
ctum eorum operemur, sed & actu reminiscamur; Id quod solâ
experientia fieri, ultrò largimur.

C I. Probatis hunc ad modum omnibus minoris proposi-
tionis membris; spontè sequitur conclusio. Ergò connat-
um est homini discrimen honestorum, & turpium.

F I N I S.



terum ex-
in genere,
tam ratio.
es conve-
Quid e-
nis pecca-
ant; quo-
ta & c.
Academi-
enicam, &

Aristoteles,
Quoniam
talv n' f'v
ois aj
se pro-
os to

at virtu-
es sic de-
pensiones
s virtutes,
& fontes

cipia, qua
re ex se h-
enim talia
quam, sic
nt isti com-
aliter perci-
: & ista di-

istam per-
sequitur



AD

Ornatissimum & Doctissimum

DN. MICHAELEM PFLUGERUM, Popularem & Amicum singularem, disputantem de naturali honestorum & turpium discrimine.

M *Enstuares omnes sine corpore novit;
at illi
Iuncta recordatur: verba Platonis
habent.*

*Nuda tabella animus tuus est; ut cera figuras,
Sic capit ille artes: dixit Aristoteles.*

*Reliquias recti Setho implantavit Adamus:
Philosophi multi, Theologique docent.*

*Elige quod verum, PFLUGERE, tibiq; quod olim
Ad rem Theologam proficit: id ultimum erit.*

M. Georgius Geltner, Creilshemius Fr.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



707



IS PRIOR
S DISPUTA-
bus adjecta

De
HONESTORUM

n discrimine,
bergensium Academia
opposita

RESIDE


LAO HUNNIO
Col.Phil.Adjuncto,

ONDENE
E PFLUGERO
beimo Fr.



BERGAE,
hica Johannis Gormanni.

M. DC.XI.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

